



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Cvpersano Episcopo & Archidiacono Oritan.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

pressa, ad sedem apostolicam destinatis, statuentes partibus terminum competentem, quo receptura sententiam nostro se conspectui repräsentent. Si qua verò partium super principali vel incidenti duxerit appellandum; vos nihilo minus, quantum de jure poteritis, servato tamen mandati nostri tenore, in ipsius inquisitione negotij procedatis. Quod si omnes &c. tu frater Episcope &c. Datum Romæ &c. I I. Non. Iunij &c.

*ALFONSO AVRIEN.  
Episcopo.*

*Epiſt. 254.  
Statim ualiquod  
novum confi-  
matur.*

**Q**VÆ ad ampliandum cultum divini nominis Prælatis Ecclesiarum provide statuantur, firma debent & inconcussa servari, & ad obtinendum robur perpetuæ firmitatis apostolico præsidio communiri. Significasti siquidem nobis quod ut in Ecclesia tua solennius Domino serviretur, de consilio Capituli tui sex præbendarum proventus provida deliberatione conferre duodecim portionariis statuisti qui debeat in eadem Ecclesia ad supplendum aliorum defectum continuè residere. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, institutionem ipsam, sicut provide facta est & recepta, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum VIII. Idus Junij &c.

*CYPERSANO EPISCOPO  
& Archidiacono Oritan.*

*Epiſt. 255.  
Vt contra Epis-  
copum Mutilen-  
sem, dilapi-  
datorem, & a-  
liorum crimi-  
num reum in-  
quirant, & Ar-  
chidiaconum,  
quem spoliarat,  
restituant.*

**D**Ilecto filio Hugone Mutilen. Archidiacono conquerente didicimus quod cum quandam Mutilen. Episcopum curam rerum Mutilen. Ecclesie olim ei Cantori & Thesaurario, praesente Capitulo, assignasset, venerabilis frater noster Mutilen. Episcopus eum, quia quandam mulam Ecclesie cuidam Clerico commodaverat, qua ei fuit postmodum violenter ablata, ipsum post appellationem ad sedem apostolicam interpositam & per se verberavit, & fecit ab aliis verberari. Qui in granario postmodum jussu præcipitatus ipsius, manibus post terga ligatis, cippo fuit & compedibus ferreis alligatus: ubi, propter poenæ alleviationem, Willielmo nepoti & Simoni genero ejusdem

Episcopi decreta & eorum summam cum rebus aliis concessit invitus. Cum autem de tam arcta custodia fuisset, sicut asserit, non humano sed divino potius auxilio liberatus, idem Episcopus eum ab officio beneficioque suspendit, & Willielmum nepotem suum in castro Massafro Archidiaconum, & quendam alium in Mutilen. Ecclesia in præjudicium juris ejus Archipresbyterum ordinavit, & eundem Archidiaconum Stephanus filius Alfaranae, Bajulus civitatis, mobilibus spoliavit, & dominator civitatis immobilia auferens, eidem Archidiacono civitatis aditum interdixit. Proposuit etiam idem Archidiaconus gravia contra Episcopum memoratum, super electione non canonica, dilapidatione Ecclesie, & crimine simoniae, ac quod Episcopus ipse cujusdam manifesti adulteri & alterius falsarij familiaritate utatur. Verum quia nobis non constitit de prædictis, discretioni vestra per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis audiatis quæ fuerint hinc inde proposita, & receptis testibus, & attestacionibus publicatis, & examinatis legitime, gesta omnia redacta in scriptis, & sigillorum vestrorum munimine roborata, ad nos dirigere procuretis, statuentes partibus terminum competentem, infra quem, receptura sententiam, nostro se conspectui repräsentent. Interim autem Archidiaconum ipsum ad officium & beneficium & dignitatem archidiaconatus restitutas, si id de jure videritis faciendum. Eos autem qui in eum manus injecere temere violentas, tamdiu excommunicatos denuncietis & mandetis ab omnibus evitari, donec passo injuriam & de ablatis omnibus & illatis injuriis satisficerint competenter, & cum vestrarum testimonio literarum ad sedem apostolicam venerint absolvendi. Diulos præterea Episcopum, Willielmum, & Simonem ad restitutionem librorum & aliarum rerum, prout justum fuerit, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Testes autem &c. cogantur. Quod si ambo &c. tu frater Episcope &c. Datum Romæ &c.

